

factum effectum. Si tamē non circumcidebantur ante diē octauium timore mortis saluabatur puer in fide parentum. Unde non tenetur magister qui dicit q̄ damnarentur.

Nam ad sacramentū.

Distinctio ij. habet conclusiones vij. **P**rima: q̄ noue legis septem sunt sacramenta scilicet baptismus cōfirmatio eucharistia penitentia extrema unctio ordo coniugium. Quorum alia prebent remedium contra peccatum et gratiam adiutricem vt baptismus. Alia gratia et virtute nos fulciunt vt eucharistia et cōfirmatio. **S**econda conclusio q̄ sacramenta ista que ex xpi morte et passione virtutem sortiti sunt non erant danda ante aduentū xpi qui gratiam attulit. Xps autem venire noluit anteq̄ homo de lege naturali et scripta communicetur q̄ neutrum iuuare possit. **T**ercia conclusio coniugium institutum fuit ante peccatum non propter remedium sed ad sacramentum et ad officium generationis. Post peccatum vero fuit in remedium cōtra carnis concupiscentiam. **Q**uarta conclusio baptismum xpi iohannes suo baptismo prenuntiauit. Baptismus autem iohannis erat in aqua solum et quia exterius lauabat intus autem non conferebat gratiam nec remissionem peccatorum. Erat autem in penitentiam non in remissionem. quia quos baptisabat ad penitentiam vocabat et penitere docebat et ad baptismū xpi homines vsu baptismi preparabat. **Q**uinta conclusio: baptismus iste dictus est iohannis: quia ibi nihil agebatur quod non ageret iohannis operatio: cum illa operatio iohannis erat a deo et etiam baptismus ille. **S**exta conclusio baptismus iohannis poterat dici sacramentum: sicut et legalia significabant enim rem sacram sicut baptismus xpi qui nō est tantum penitentie sed etiam remissionis peccatorum. **S**eptima conclusio forma baptismi iohannis erat q̄ in nomine venturi baptisabat et illi qui spem tantum in illo baptismo ponebant et post baptisati sunt baptismo xpi nec est in eis iteratum baptisma sed in nouatum. Illi autē qui spem in baptismo iohannis non tantum posuerunt sed patrem et filium et spiritum sanctum crediderunt baptisati non fuerunt: nisi tantum a iohanne: sed impositione manuum ab apostolis super eos facta spiritum sanctum receperunt. Et notandum q̄ magister hic non tenetur communiter. Nam baptisati baptismo iohannis erant baptismum xpi rebaptisandi.

Post hec. **D**istinctio iij. continet conclusiones x. **P**rima baptismus est initiatio i. ablutio corporis exterior facta in